



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XXXV. Bischof Dietrich von Brandenburg berichtet an den Papst über Mathias Honow, welcher die Pfarre zu Nauen eigenmächtig in Besitz genommen hat, am 5. August 1363.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

supradictas nostras sententias aut earum aliquam incurrerint quoquomodo, nobis reservata. Ceterum vobis seriose ducimus predicendum, quod si hunc nostrum processum contempseritis in toto vel in parte, ad ulteriorem executionem hujus negotii et aggravationem poenarum in hoc processu contentarum seriose procedemus. Datum et Actum in Castro nostro Seyeser Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, Indictione prima, Mensis Mai die penultima, hora quasi sexta, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Urbani Pape predicti anno primo. Presentibus honorabilibus viris Magistro Wilhelmo de Pokolente, Preposito Angermundensi, ac Dominis Thiderico in Beltiz, et Andrea Loderpapien in Wormelitz, nec non Zabello in Bare ecclesiarum Plebanis, et quam pluribus aliis fide dignis.

Nach Gerden's Stifte-Geschichte von Brandenburg, S. 580—583.

**XXXV. Bischof Dieterich von Brandenburg berichtet an den Papst über Mathias Honow, welcher die Pfarre zu Nauen eigenmächtig in Besitz genommen hat, am 5. August 1363.**

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino meo Domino Urbano, sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo Pontifici, Thydericus, miseratione divina Brandenburgensis Episcopus, cum obedientia et reverentia devota, pedum oscula beatorum. Noverit Beatitudo vestra, quod quidam Mathias Honow, asserens se clericum mee Brandenburgensis diocesis, mihi super hoc anno, die videlicet decima octava mensis Maii, extra domicilium meum exsistenti, quasdam litteras Vestre Sanctitatis gratiosas pro se et contra Prepositum, Priorem et Capitulum ecclesie mee Brandenburgensis, Premonstrensis ordinis, in communi forma pauperum clericorum per ipsam impetratas, presentavit et unam litteram privatam seu commendatitiam ostendit, per quam probaret, se fuisse et esse vite laudabilis et conversationis honeste, petens ut procederem pro eo juxta dictarum continentiam litterarum, Et quod ei tunc respondi, me quondam habuisse notitiam persone ejus, et velle libenter mandatis apostolicis obedire, quodque tunc non habebam mecum consiliarios et notarium, quorum consilio et officio procedere poteram ad executionem eorundem mandatorum, et prefixi sibi certum terminum competentem in quo venire deberet ad locum domicilii mei in Seyeser instructus dictorum mandatorum vestrorum executionem debitam accepturus. Et quod idem Mathias die vicefima secunda dicti mensis ecclesiam parochialem Opidi Nauen ejusdem mee diocesis minoris, ut asseritur, valoris quam viginti marcarum argenti, in absentia mea acceptavit; non tamen expresse declaravit, quod vellet beneficio minoris valoris hujusmodi contentari. Quodque postmodum videlicet tricesima dicti mensis, idem Mathias in domo mea Seyesere iterum dictas litteras presentavit, et supplicavit ut ad executionem debitam contentarum in ipsis procederem juxta formam eandem, Et quod domino Thiderico Preposito dicte Brandenburgensis ecclesie propter Capitulum Synodale, quod eadem die tenuit presenti, processum meum minime relevarem, Et quod ideo non vocatis nec auditis dictis Preposito, Priore et Capitulo, summariam informationem dicti Mathie recipiens, pronunciaui ipsum esse vite laudabilis et conversationis honeste, processumque pro ipso quendam feci generalem, nihil omnino sciens de acceptatione premissa, Et quod post hec idem Mathias insinuavit mihi, quod prius acceptaverat ecclesiam parochialem antedictam et eam tanquam sibi vacantem per mortem Johannis Man, ultimi Rectoris ipsius, Canonici

videlicet dicte Brandenburgensis ecclesie regularis, petiit sibi per me conferri, et se de ea investiri, et in possessionem ejus induci corporalem, amoto quolibet illicito detentore; Quodque sciens alium videlicet Goswinum Wefenborgh, ejusdem Brandenburgensis ecclesie Canonicum Regularem, fuisse dudum institutum ad regimen dicte parrochialis ecclesie, et in possessionem regiminis illius existere, decrevi, cum cognitione cause procedere, et citare dictos Prepositum, Priorem et Capitulum, ac institutum, ad dicendum contra petitionem dicti Mathie quicquid dicere possent et vellent, in certo termino competenti, ipsumque terminum eidem Mathie consentienti prefixi, ad videndum et audiendum que dicerent, et ulterius procedendum; Et quod interim, antequam videlicet citatio quam decreveram facere pervenit ad dictos Prepositum, Priorem et Capitulum et institutum, idem Prepositus non attendens ad aliud, ut dicebat, quam ad defendendum jus ecclesie sue perpetuum et reale, coram me dedit exceptiones prima facie legitimas et verisimiles contra dictam acceptationem et processum meum, et petitionem dicti Mathie, offerens se paratum ad probandum eas, ac petens se ad hoc admitti, et processum meum quatenus de facto procefferat, revocari, ac ad ulteriora pro dicto Mathia sine cause cognitione non procedi; Quodque, prout debui, decrevi copiam dictarum exceptionum communicari dicto Mathie, et tunc absentem mandari et feci citari ad dicendum contra eas et petitionem excipientis quicquid posset et vellent, in loco tuto et in alio termino competentem propter prolixitatem exceptionum earundem; Et quod dictus Mathias in termino sibi prefixo, coram officiali meo, cui commiseram vices meas, comparens, contra dicta et petita per dictum Prepositum prolixius replicavit et petivit, ut dictum processum meum pronunciarem esse validum et non revocandum et declararem dictam ecclesiam in Nawen, per ipsum ut premititur acceptatam, sibi fore debitam, et ipsum de eadem investirem, amoto ab eo dicto instituto et alio quolibet ejus detentore, ad probandum intentioni sue necessaria se astringens, Quodque dictus commissarius meus utrique parti terminum competentem assignavit ad audiendum in domo mea Seyefer voluntatem meam super exceptis, replicatis, propositis et petitis hinc et inde. Quapropter idem Mathias ad sanctam sedem vestram, prout in charta seu littera mea prius est annexa continetur, ut dicitur, appellavit. Verum he, beatissime Pater, cause, quas idem Mathias in appellatione sua pretenfa pretendit et allegat, sunt frivole, frustatorie, penitus irrationabiles, illegitime, falso conficte, minus vere, minime relevantes eundem, de jure non admissibiles, nec admittende, Quia cause idem Mathias aliquibus falso pretenfis gravaminibus in eadem appellatione sua pretenfa expressis, manifeste renuciavit, Item quia consilio solius unius uti non consuevi, nec soleo, sicut mihi imputavit, neque breviter poteram et possum super premissis et aliis hinc et inde propositis informari, Et quia si dictus Mathias appellasset in securitatis falso sicut credo per ipsum pretenfe remedium et cautelam invenissem. Tamen huic appellationi presentate, si tamen appellatio dici possit et de jure sit ipsi deferendum, ob reverentiam apostolice sedis et Vestre Sanctitatis, defero litteras meas presentes eidem appellanti pro appellatis concedendo, in quibus veritatem mei processus expressi et excusavi. Datum in dicta domo mea Seyefer, Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, die Sabbati, quinta mensis Augusti, meo sub secreto sigillo. Presentibus honorabilibus viris Bethmanno de Halberstad, Officiali meo, Thiderico Lefen Cappellano meo, Henrico Notario meo, et aliis pluribus fide dignis, rogatis ad premissa testibus et vocatis.